



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

24. Genus Iudiciale: do statu & tractatione Caussarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

bus causis exordia adtexere, trahereque diffusus, & in transitionibus, ac parergis luxuriare, quæ omnia ludentium sunt potius declamatorum, quam negotiosorum hominum.

Quartum ad eos pertinet, qui longos amant circuitus, & diem, quod aiunt, dicendo eximere. Benè de hac re monet Paschalius, V. C.

Quæ ratio (inquit) est adstricti motis, totiusque adeò vitæ, eadem quoque est sermonis: ut enim in libera ciuitate fatendum est multa redundare in moribus, ita in orationibus, quæ ibi habentur, multa plerumque inest procacitas linguæ, & superfluens quædam verborum luxuries similis morum. Id totum in aula excipitur magno derisù, & exponitur pari fastidio. Quippe aulico palato, id est, docto, & erudito, nihil magis ad gustum est, quam sobrietas quædam ponderosa. Senatores liberi populi hoc se amplectuntur, quod multo sermone diem eximunt, ac multa libertate agunt.

At in aula hæc libertas est pro lasciuiâ, & nisi temperatur, continuò deridenda propinatur. Neque enim nuda, aut sola placet, sed ita si obnubitur grata illa suauitate, quam progerit peritia morum Principis. Illa quidem simplicior, hæc artificiosior. Et verò attenti, & perspicaces rerum æstimatores satis intelligunt, in ijs gentibus, quæ regnantur, vulgarem sermonem, cui merito nomen indè potest morum speculo, præ se ferre nescio quid pressi, concinni, neruosi, quale extat illud de Menelao dictum, qui,

Ἐπιροχὰς ἦν ἀγέρεος
Παῦρα δὲ ἄλλα μάλ᾽ ἠγύσιος.

GENVS IVDICIALE.

De statu, & tractatione causarum.

CAPVT XXIV.

Restat vt Patronum, armis pietatis, eloquentiæ, & eruditionis instructum in causarum tractationem, quasi in aciem educamus. Qua in re primùm cognoscendæ sunt, quæ à Græcis *σέως* appellantur, de quibus, cum infinita sint propè apud Rhe-

tores Græcos sermonum curricula, lubet rem in pauca contrahere.

Status (vt ex vulgatis definitionibus constat) est quæstio, quæ ex primo causarum quid conflictu nascitur, in quo sciendum est, quod habet Tullius, quid sit intentio, depulsio, quæstio, ratio, ratiocinatio, infirmatio, quæ D. August. in sua Rhetorica fufius explicat.

Intentio igitur est, cum crimen aliquod intenditur ab aduersario, vt C. Flaminius Tribunus plebis Rempubliacam malè gessit: hunc pater suus consilium plebis habentem de templo deduxit. Arguitur à filio læsæ maiestatis.

Depulsio, cum crimen defenditur à reo, vt non læsi maiestatem: ex hoc conflictu status fit.

Quæstio an maiestatem læserit Caij Flaurij pater?

Ratio, quid affertur in causæ fundamentum, vt in filium meum potestate vsus sum (inquit patens.)

Rationis infirmatio, cum diluitur, quod ad fulciendam causam affertur. At enim, qui patria potestate, hoc est priuata auctoritate, Tribunitiam potentiam, videlicet populi potestatem minuit, is maiestatem læsit. (Arguit filius.)

Iudicatio *κρίσις* summa totius rei, & status quæstionis, ad quem collineare debent omnes argumentationes. An minuat maiestatem, qui in Tribunitiam potestatem patria auctoritate vtatur.

Longum est recensere, quot sint in hac parte scholasticorum, tum Græcorum, tum Latinorum ineptiæ, qui infinitas propè præceptorum minutias de statibus congerunt. Ne tamen artis formulæ ignorarentur, placuit istud ex Curio Fortunatiano vetere iurisco-sulto subijcere.

DE STATV IN-
uestigando.

Et de causis Aystatis.

CAPVT XXV.

Aystatis, quæ appellantur causæ sine statu, & fundamento, secundum Heteromagoram fiunt quatuor modis, quomodo
Kkkk 2 cii.

Aystata
causa sine
funda-
mento
quomodo
dignos-
citur.